

## **Decimus Magnus Ausonius**

### **Cento Nuptialis**

Postquam est in thalami pendentia pumice tecta  
perventum, | licito tandem | sermone fruuntur.  
Congressi iungunt dextras | stratisque reponunt.

At Cytherea novas artes | et pronuba Iuno  
sollicitat suadetque ignota lacessere bella.

Ille ubi complexu | molli fovet, atque repente  
accepit solitam flammam | lectumque iugalem:  
«O virgo, nova mi facies, | gratissima coniunx,  
venisti tandem, mea sola et sera voluptas.

O dulcis coniunx, non haec sine numine divum  
proveniunt. | Placitone etiam pugnabis amori?»

Talia dicentem iamdudum aversa tuetur  
cunctaturque metu telumque instare tremiscit  
spemque metumque inter | funditque has ore loquellas:

«Per te, per, qui te talem genuere, parentes,  
o formose puer, | noctem non amplius unam  
hanc tu, oro, solare inopem et | miserere precantis.

Succidimus: non lingua valet, non corpore notae  
sufficiunt vires, nec vox aut verba secuntur».

Ille autem: «causas nequ quam nectis inanes»,  
praecipitatque moras omnes | solvitque pudorem.

## **Prudentius**

### **HYMNUS MATUTINUS**

Nox et tenebrae et nubila,  
confusa mundi et turbida,  
lux intrat, albescit polus,  
Christus venit, discedite.

Caligo terrae scinditur  
percussa solis spiculo,  
rebusque iam color reddit  
vultu nitentis sideris.

Sic nostra mox obscuritas  
fraudisque pectus consciū  
ruptis reiectum nubibus  
regnante pallescit Deo.

Tunc non licebit claudere  
quod quisque fuscum cogitat,  
sed mane clarescent novo  
secreta mentis prodita.

Fur ante lucem squalido  
inpune peccat tempore,  
sed lux dolis contraria  
latere furtum non sinit.

Versuta fraus et callida  
amat tenebris obtegi,  
aptamque noctem turpibus  
adulter occultus fovet.

Sol ecce surgit igneus,  
piget, pudescit, paenitet,  
nec teste quisquam lumine  
peccare constanter potest.

Quis mane sumptis nequiter  
non erubescit poculis,  
cum fit libido temperans  
castumque nugator sapit?

Nunc, nunc severum vivitur,  
nunc nemo tentat ludicrum,  
inepta nunc omnes sua  
vultu colorant serio.

Haec hora cunctis utilis,  
qua quisque, quod studet, gerat,  
miles, togatus, navita,  
opifex, arator, institor.

Illum forensis gloria,  
hunc triste raptat classicum,  
mercator hinc ac rusticus  
avara suspirant lucra.

At nos lucelli ac faenoris  
fandique prorsus nescii,  
nec arte fortis bellica,  
te, Christe, solum novimus.

Te mente pura et simplici,  
te voce, te cantu pio  
rogare curvato genu  
flendo et canendo discimus.

His nos lucramur quaestibus,  
hac arte tantum vivimus,  
haec inchoamus munera,  
cum sol resurgens emicat.

Intende nostris sensibus,  
vitamque totam dispice,  
sunt multa fucis inlita,  
quae luce purgentur tua.

Durare nos tales iube,  
quales, remotis sordibus  
nitere pridem iusseras,  
Iordane tinctos flumine.

Quodcumque nox mundi dehinc  
infecit atris nubibus,  
tu, rex Eoi sideris,  
vultu sereno inlumina.

Tu sancte, qui taetram picem  
candore tingis lacteo  
ebenoque crystallum facis,  
delicta terge livida.